






LAUDATIO
IN FUNERE
SERENISSIMI PRINCIPIS
ALOYSIJ MOCENICI

HABITA CORAM VENETIS PATRIBUS

A PETRO BERTIO

IN ÆDE

SS. JOANNIS, ET PAULI

IV. IDUS JANUAR. AN. MDCCLXXIX.



VENETIIS,
MDCCLXXIX.

Ex Typographia MODESTI FENTII.

SUPERIORUM PERMISSU.





RAptum verius morbo non opinato, quam communi tandem moriendi necessitate sublatum, virtutibus magis quam ætate gravem, pijssimum Principem ALOYSIUM MOCENICUM, in tanto Reipublicæ totius squallore, in tanti auctoritate confessus, in universi populi conquerentis dolore lamentaturus cum sim; fateor equidem, me quamvis nil tale cogitantem, non tamen ad hoc pietatis munus, quod nemini antea fortasse contigit, vel jis qui commiserunt morosum restitisse, vel invitum accedere. Movit quippe me vetus in eum reverentia, movit subiti casus acerbissima pietas, movit Clarissimorum æquitum Fratris, & Filiorum incredibilis mæror, ut animo, sin minus alacri, facili certe & obsequenti eis, quibus maxime debeo, inservirem, & illius virtutes, quas jamdudum introspexi & suspexi, nunc saltem pro viribus celebrarem. Illud me tamen & acrius movit, & impulit vehementius, quod cum totam ejus vitæ rationem, & singulas etiam actiones accurate perlustrarem, ut quibus potissimum virtutibus excelluisset, penitus cognoscerem; eum adeo pietatis studio & Religionis sanctitate, cæteris quasi evanescentibus, eminere comperi, ut Religiosus Princeps & esse & videri voluerit.

Magnum profecto argumentum , P. C. , dignitate plenum ; quippe hujus auctoritate loci, amplitudine vestra dignissimum , & ad publici luctus solatium maxime accommodatum ; quodque præcipuum est , adeo veritate undequaque splendescens , ut & in tanta hujusce ætatis non certe superstitiosæ luce ac licentia sine mendacio proponi , & in tanta ingeniorum subtilitate sine adulationis nota possit pertractari. Cujus quidem eo major apud me vis est , ut & animum erigat , ne conscientia meæ tenuitatis deterrear , & necessariam suscepto muneri obeundo facultatem suppeditet, quam vel disertissimis Oratoribus invidere non videar. Consurgit enimvero hinc sponte sua , & sibi quodammodo plaudens in novo quasi solo efflorescit oratio , hoc uno contenta , si nullo artis colore fucata , nullis assentationum fraudibus involuta, vobis P. C. probabilis appareat, dum Religiosissimo Principi parentatur.

Ac primum quidem magnopere vereor , ne quis adeo iniquus rerum æstimator insurgat , mihi ac ipsi pene Religioni succensus , perinde ac aut ego , temperantius fortasse quam par sit, hanc unam in egregio Principe laudandam suscipiam , cætera quæ de illo prædicari possunt quasi non sint dissimulaturus, aut Religio ipsa nimis severa animi dotes, & vitæ munera, ac ornamenta despiciat. Atqui multa sunt , & magna , & præclara in omni bonorum etiam & virtutum genere, quæ dicendi copiam & rerum pondus abunde possunt subministrare . Age enimvero ; Quæ in præclarissima ejus Familia generis vetusta , & non interrupta claritas ; quæ honorum amplitudo ; quæ nominis celebritas non elucet? Tanta profecto ut cuique vel minimum in patria historia versato satis constet, ipsam pene Rempublicam cum hac Familia certasse ; hanc ut Patriæ multos tum belli, tum domi præstantes ac plane singulares viros atque admirandos a suis inde primordiis ad hæc usque tem-

pora

pora fufficeret, illam ut pro fua in retribuendo largitate hujus generis viros maximis dignitatibus & fummo ipfo Principatus honore fæpiffime cumularet. Quod fi de hoc fuæ gentis fplendore, qui ita fuus erat ut & aliorum effet, filere velim; quanta profecto ab ejus virtutibus ac meritis laudum feges fuboriretur, quæ ita tota fua eft, ut nullam ejus partem vel fortuna vel genus fibi valeat vindicare. Equidem poffem (non enim eget alienis laudibus qui abundat fuis) maximam ejus in regendis confilijs, in tuendis legibus, in magiftratuum juribus fervandis affiduitatem, miram propemodum fidem, conftantiam, dexteritatem commemorare, quibus majores fuos non tam fingulos eft æmulatus, quam unus exhibuit univerfos: Poffem fplendidiffimas ejus Legationes, quibus Parifijs primum, ubi & viris ex omni fere memoria peritiffimis familiaris fuit, & Petri Urfeoli fanctiffimi Principis offa obtinuit; mox Neapoli, quo miffus bis extra ordinem ut officiofe pro Republica faceret; Romæ denique, & nonnullis fublatis difficultatibus, & pluribus ultra morem impetratis, & omnibus ad regium prope decus comparatis mirifice functus eft: Poffem graviffimam hanc ipfam Rempublicam appellare, cujus favore & Edis D. Marci Procurator fuit dictus, & Patavini Gymnafij Adminiftrator, quem Magiftratum Majores noftri inter primos effe voluerunt, & civium effufis ftudijs ad fummum Principatus faftigium nemine contendente delatus. Quid plura? Omnia brevi comprehendam; quo uno & fidem meam liberavero, neve quidquam, quod illi maxime debeatur, hoc etiam in genere laudis derogaffe videbor: Nota res eft ac pervulgata, unanimi illum graviffimorum Patrum judicio ad bene de Republica confulendum in Sapientum Collegio cooptatum fuiffe, ibique in rerum maximarum adminiftratione triginta ipfos annos verfatum effe. Potuitne Aloy-

ſius noſter magnificentius aut cumulatius aut explicatius a me, quam Sapientiſſimi Senatus tanto ſtudio, judicioque laudari? Quæ poteſt huic, Senatoria præſertim, virtus abeſſe, quem in venerabili illo Sapientiæ, Gravitatis, Conſilij veluti domicilio ſuis provincijs, regendis, publicæ tranquillitati conſervandæ, veteri gloriæ iniquis etiam temporibus retinendæ Senatus ipſe præfecit, & eodem munere longo adeo tempore retinuit? ut nulla profecto major illius laudatio eſſe poſſit quam tanti a tantis Patribus fieri.

Hæc ego ſi pro rei dignitate non fuſius perſequor, non id inopiæ rerum, quaſi aut exiguæ ſint, aut nullo modo ſint, tribuendum eſt. Sed cum Sapiens Princeps Religionem ac pietatem unam præ cæteris ſemper ſibi duxerit eſſe æſtimandam, ineptus certe viderer Orator, ſi orationem quoque ego meam ſenſui ejus, judicioque non penitus conformarem. Juverit tamen hæc commemoraſſe, quæ commemorare Religio ipſa jubet, ut omnes probe intelligant, cætera vel generis vel animi ornamenta, quæ ſine pietate inania prorſus & lubrica & noxia ſunt, eadem, cum pietati conſociantur & illuſtria eſſe & utilia & omnium linguis ac litteris celebranda. Nunc porro cum de ejus Religione dicamus, quod nobis propoſitum initio, eſt, non illud mihi demandatum intelligo ut virtutes omnes, in quas illa tribuitur, ſigillatim percenſeam (quod & imperare iniquum eſſet, & ſuſcipere temerarium) ſed ut ex earum admirabili copia pauca quædam decerpam, de quibus ex hoc ampliſſimo loco tumultuaria plane Oratione collacrymer. Jam in Chriſtiana Modeſtia, quam frequentiori vocabulo humilitatem dicimus, quæque cæterarum eſt parens, cuſtoſque virtutum, quantum modeſtiſſimus Princeps enituerit, quis veſtrum eſt quis ignoret? Quanta enim in eo erat animi humiliter, de-

ſe

ſe ſentientis non obſcura ſignificatio, qua totum id, quod in ſe erat, Deo unice referebat! Quanta totius corporis ad modeſtiam compoſitio! Quanta in quoſcumque inciderat homines reverentia! Neque vero ea tantum in ampliſſimos viros, in quibus ſæpe invenias quod præcellat, ſed in eos quoque, quos natura infimos, conditione ſervos offendebat identidem; ut qui dignitate omnibus præſtaret, humilitate inferior omnibus videretur. Nolim tamen exiſtimetis, fuiſſe hæc omnia demiſſi potius, quam ſeſe demittentis animi indicia. Repetite quæſo, ac vobiſcum ipſi recordamini honeſtiſſimam Aloyſij Principis imaginem, cum e domeſticis quaſi latebris, ſtipante corona Patrum, pro Reipublicæ amplitudine prodibat in publicum. Quæ inceſſus gravitas! Quæ corporis habitudo formæ dignitate quadam a natura honeſtati! Quæ oris Majeſtas ex ipſa fronte ac vultu eminebat! Et illud quidem nativum non adſcitum, ſincerum non callidum, quo nempe omnes judicarent, eum non electum, ſed prope natum eſſe ad Imperium; & advenæ ac peregrini, ſummorum fortaſſe Principum quotquot per Europam ſunt, majeſtati adſueti, poſtquam ſumma omnia, quibus noſtra hæc civitas maxime præſtat, fuerint admirati, cum illum intuerentur, in hoc uno mirabilem totius Reipublicæ majeſtatem reſidere facile faterentur: Num fieri fortaſſe poteſt, ut cujus ori magnum quiddam natura induxerit liberaliter, ejus deinde animo nimis incohærenter ſubtraxerit? Quin ita a natura ipſa comparati ſumus, ut per oris lineamenta, & externam corporis ſpeciem interioris animi notas arguere non dubitemus. Nonne vobis vel maxime id licuit arguere, P. C. quoties eum e Suprema majeſtatis Sede, Reipublicæ nomine, aut inſignibus Legatis reſpondentem, aut inclytis quibuſque viris gratulantem audiſtis; cum & ſententiarum gravitatem animi excelſitati ac-

como-

commodatam, & orationis totius dignitatem admirabamini, adeo ut vobis ipſis & genere claris & ingenioſis & eloquentibus magnificus plane ac eloquentiſſimus videretur. Habent hoc qui Chriſtianam vere humilitatem colunt ac profitentur, ut quod a natura hauſerint, illud, cum ſuo munere funguntur, & diligentia augeant & exercitatione perficiant; cum vero res minime poſcit & latere ament & ab iis qui minus de virtute ſapiunt, alios plane judicari ac ſunt.

Cum autem alia in hoc viro admirabilia fuerunt quæ ex ipſa humilitate proficiſcuntur, tum ſingulare Chriſtianæ caritatis ſtudium, quo cujuſcumque ordinis homines amantiſſimus Princeps proſequebatur. Vigebat in eo maxime incredibilis in Patriam amor, cum omnes omnium caritates Patriæ Caritas vincat, quo Reipublicæ totius, quod Religioſum Principem apprime decet, dignitatem, amplitudinem, incrementum ſuis ipſe commodis anteponeret; nec niſi populorum & provinciarum otio & felicitate expleri felicitatem ille ſuam, ac plane cumulari ſignificaret. Ex hoc tam incenſo in univerſam Rempublicam amore, egregia nimirum illa caritas in ſingulos redundabat. Quo in loco ad te primum convertatur oportet oratio, Clariſſime Eques Petre, qui amantiſſimo cum fratre ita vixiſti, ut tu pari animi magnitudine ejus potiſſimum gloriæ inſervires, ille ut tibi incredibilem vim amoris rependeret. O rem omni prædicatione majorem! O rarum fraternæ dilectionis exemplum! Hærebant dulciſſimi fratres alter alteri, ut fere vitæ ſocietate, ſic non tam ſuavi naturæ vinculo, quam eodem prorſus religionis ac pietatis ſenſu conjuncti; amabat alter alterius amorem, dolore atque luctu commovebatur, occultaque quadam amoris vi ac vehementi in perpetuam animi conſenſionem rapiebantur, ut Divino prope prodigio tribuendum ſit,

quod

quod hic altero mortuo repente non moreretur, ille ut inopinato genere mortis a quo divelleretur non senserit. Neque vero hunc Caritatis fervorem in fratrem eo usque effundebat, ut cæteros non diligeret, quos omnes paterna quadam dilectione fovebat. Jam in domesticos & familiares suos tanta erat facilitate ac comitate ut vel ex ipso vultu insitam animo in omnes benevolentiam satis ostenderet. Ejus sermo roganti propior quam jubenti: verba non acria, & ab omni fastu abhorrentia: servis, quibus parens videbatur non Dominus, & minuere laborem, & suis etiam necessariis voluptatibus libenter aliquid detrahere studebat, ut illis plus otij daretur & quietis. Quid porro de reliquis dicam seu beneficijs, seu dignitatibus, quas nullo prorsus emolumento ductus, suis primum, quasi honestæ servitutis præmium, cæteris deinde quoad poterat elargiebatur? Posse autem plura cupiebat ut pluribus satisfaceret; quibus si satis semper non fecit, limitatæ id potestati, quod humanum est, tribuamus, non voluntati, quam liberalibus verbis, & liberaliori animo significaverat. Quid de ejus erga pauperes & egentes homines largitate & munificentia? Quam cum in viduis ac pupillis alendis, in sustentandis Religiosorum Familiis, in puellis ab honestatis jactura tutandis large exerceret, silentio tamen tegebat, ne qua inanis aura gloriæ tantæ pietatis opus disperderet.

Verum cum ea potissimum Christianæ Caritatis laus sit & perfectio, ut a Deo primum in nos derivata ad Deum ipsum tanquam præcipuum terminum referatur; rapit me & quodammodo absorbet orationem meam intensa illa Religiosissimi Principis in Deum pietas, diligens Divini Numinis cultus, assidua in res Divinas reverentia, studium efficax Religionis, quæ si privatim intermissa nunquam, publice tamen apparuit usque quaque ad cæterorum exemplum splendide culta. Quoties enim

vel

vel publici ſupplicationibus adeſſet, vel Templa deprecaturus ingrederetur, vel leve quodque Religionis officium obiret; ejus animi ardor ex toto corporis habitu emicabat, dum majeſtatem ipſe ſuam, familiam, civitatem, Rempublicam ipſam Divinæ, ſupremi Conditoris majeſtati humiliter ſubijceret, quam ei ſervire, ei adhærere, ejuſque præſertim gloriæ velificari cupiebat. Hinc ſcilicet firmiſſima illa in credendo fides, de qua nulla ſe humana fraude deijci patiebatur, & conſtans fiducia quam totam in uno Deo Clementiſſimo parente ac rectore volebat eſſe repoſitam, & admirabilis illa orandi aſſiduitas, ut nunquam ille ullum diem abire pateretur, quo non rei divinæ ſemel ac iterum intereſſet; & quod illi dabatur a neceſſariis vitæ ſeu occupationibus ſeu impedimentis (quibus ſe non tradere ſed commodare viſus) excepti ac ſubſecivi temporis, hoc ille provolutus in genua in æternitatis meditationem adhiberet, ex qua vitæ ſtabilem, inoffenſumque curſum perpetuo retineret. Tremefactus enim perſæpe periculorum conſideratione, quibus fit ut ſemper deficiamus alicubi, Deo ſe indigere cognoſcens, in ejus Divinæque matris ſinum confugiebat, cujus ſe viribus proveheret, ſub cujus bonitate, tanquam ſub firmiſſimo aliquo Clypeo, a frequentioribus communis hoſtis ictibus protegeretur. Quid porro mirum, ſi in ſuis muneribus obeundis adeo vigilans ut nihil eum unquam a ſuo officio fungendo interpellaret? Si in perferendis tolerantiſſimus fuerit? Atque ita ut quum ſæpe, cæteris qui ei aderant fatigatis, ſolus indefeſſus perſiſteret, admirantibus iis dicere ſoleret: quem Reſpublica in Principe loco conſtituerit, nullos ei non vel ultro ſuſcipiendos labores, nulla non incommoda ſubeunda, ſummos denique honores, quibus a Patria cumulatur, ſummis pro patria laboribus ſuſtinendos. Ex quo fortaſſe factum eſt, quod nonnulli opinantur, ut cum extremis hiſce diebus ſtans diu inſiſteret pedi, qui

mor-

morbo affectus medicam omnino curam & quietem opinione omnium poscebat, patientissimus Princeps sibi non satis caverit, & sui muneris veluti victima vel periculum auxerit, vel mortem etiam quodammodo approperaverit.

Hæc cum multa sint & præclara, quæ hactenus commemoravimus, doleo equidem, quoniam omnia in hisce definiti temporis angustiis concludi non possunt, longe plura adhuc superesse, quæ commodius ad dicendum tempus desiderarent. Ex iis porro quæ vel leviter attingere licuit, magnopere spero, cæteras ejus virtutes, in adversis potissimum fortitudinem, in prosperis temperantiam, in consulendo prudentiam, in judicando æquitatem facilius vos conjecturos, quam quod a me possint prædicari. Illud tamen silentio præterire non possum, quod animi perfecte religiosi est, Principem scilicet nostrum hac etiam in parte tanto religionis zelo æstuasse, ut hujus quoque studium in cæteris vel diligeret, vel etiam, quoad ejus auctoritas vel officium ferebat, diligentissime foveret. Subit enim animo, quod nulla unquam delebit ætas; exsuberans illa egregii Principis exultatio, quam a gravissimo Senatus judicio, a constanti totius populi plausu, ab unanimi omnium ordinum consensu hauserat, quaque præclarissimum illud Ecclesiasticæ vitæ, & lumen, & exemplar Antistitem nostrum prosecutus est, quum illum Patriarchalis honoris insignibus decoratum conspexerit. Gratulabatur scilicet sibi ipsi, quod tantam in summa virtute modestiam, istis præsertim temporibus, in editissimo fastigio, ut luceret omnibus, collocatam videret, unde certo prospiciebat fore ut ad publicam populi pietatem, ad totius disciplinæ Ecclesiasticæ confirmationem, ad omnem Religionis cultum, plurimum præsidii accederet, & incrementi. Equidem dum hæc commemoro, obversatur ille idem mihi pii ingenuique Princi-

pis

pis gravis adpectus, cujus perfruendi honore toties dignatus sum: illa eadem verba audire mihi videor, quibus mecum de omni virtutum genere sapientissime, & familiariter disserebat: audire præsertim videor gravissimos illos animi sensus, quibus carissimum Nepotem, summa spe & animi & ingenii adolescentulum, mihi sollicite commendabat, cum quasi oranti similis obsecraretur ut quem litteris imbuendum susceperam, illum ad omne pietatis opus accurate educarem. Hærebat persæpe bonus senex in puero, & si quam sibi ingenii, diligentiæ, profectus commendationem excitaret, laudabat verbis, hortationibus acuebat, præmiis etiam sæpissime cumulabat. At omnia eo tandem spectabant, eo recidebant, ut in omnibus Deum, pietatem, religionem sibi propositam haberet; huc vires omnes intenderet; simulque cognosceret, se sine his neque Reipublicæ integrum civem, neque generi honestum columen, neque civibus utile exemplar futurum. Cresce adeo, præclare adolescens, Reipublicæ votis; Cresce nobilissimo generi, cum in te uno spes tantæ domus innitatur; & amplissimum pietatis patrimonium a præclarissimo Avo tibi relictum intuere: hujus exempla sectare; hunc vestigiis persequere; eamdem semitam, qua ille præivit, insiste, ut & eodem pervenias, & idem honoris pondus consequaris.

Vos vero, P. C., quos jam unos mæsta tanti Principis obitu tota hæc intuetur Respublica, pro vestra, qua maxime præstatis, sapientia consulite quam primum rebus afflictis, & eum potissimum successorem deligite, qui cum cæteras egregias virtutes tum Religionem præsertim ac pietatem imitetur & referat Aloysii Principis, quem in æternas illas beatorum sedes evectum esse, promissamque piis omnibus hæreditatem consecutuum animus auguratur. Dixi.

